

**Dissertatio medica inauguralis, de abortu.Quam... : Eruditorum examini
subjicit / Joannes Rogerus Murray, Britannus.**

Contributors

Murray, John Roger.
University of Edinburgh.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, academiae typographos, 1787.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ak3ewj8e>

Provider

Royal College of Surgeons


License and attribution


This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

A B O R T U. (11)

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES ROGERUS MURRAY,

BRITANNUS.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

DISSEMINATIO MEDICA

ANNUUS CURAE 1811

IN D. D. C. O.

ALBANO VULCANO U.

COMITATUS ROMANI

ANNIVERSARIUM DOMINI

1811

GUILLIAMI ROBERTSONI, A. M. D.

PROFESSORIS ANATOMIAE ET CHIRURGIAE

IN ACADEMIA MEDICA

PARISIENSIS

LIBRARIUS MEDICAE

GRADU DOCTORIS

IN ACADEMIA MEDICA

PARISIENSIS

1811

ROBERTSONI MURRAY

PROFESSORIS ANATOMIAE

ET CHIRURGIAE

IN ACADEMIA MEDICA

PARISIENSIS

1811

1811

1811

1811

1811

Principi Illustrissimo,

H E N R I C O

DUCI DE BUCCLEUGH,

COMITI DE DALKEITH,

DE DONCASTER,

&c. &c.

Antiqui ordinis St Andreae Equiti,

Artium liberalium patrono eximio,

Libertatis Britannicae propugnatori integerrimo,

Generisque humani vero amico,

Qui profapiam antiquissimam et nobilissimam,

Morum nobilitate ornat,

Propter benevolentiam et urbanitatem,

In sese suosque constanter demonstratas,

Hanc dissertationem medicam inauguralem,

Summa observantia,

D. D. C. q,

JOANNES ROGERUS MURRAY.

ERRORES TYPOGRAPHICI.

- Pag. 6. lin. 19. *pro plenitudine lege plenitudini.*
14. 9. *pro aquae lege aqueae.*
16. 16. et 24. *pro suspicaretur lege suspiceretur.*
18. 2. *pro perperit lege peperit.*
23. 3. *post circumdata pone plenum punctum,*
et in locum u substitue U.
24. 12. *pro possunt lege possint.*
28. 5. et 6. *pro debile et irritabile lege debili et*
irritabili.
- Ibid. 8. *pro consuetudine lege consuetudinis.*
- Ibid. 10. *pro accommodantur lege accommodan-*
tur.
29. 14. *pro ederit lege ederet.*
30. 11. *pro aegrotum lege aegrotam.*

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

ABORTU.

SI, a quam levi momento vita mortalium, ab
iniciis ipsis ad senectutem decrepitam usque,
pendeat, rite consideretur, affectibus animi trif-
tissimis non affici non possumus; et, nisi natura
partuum, quos edit, feracissima foret, genus
humanum, opus suum longe pulcherrimum, bre-
vi extinctum iri, non improbabile esse videtur.
Hisce autem periculis, quibus valetudo morta-
lium commoda constanter objiciatur, fere innu-
meris occurrere medici potissimum est. Munus
quidem nobile! sed in primis difficile. In

A

nulla

nulla re tamen peritia ejus magis necessaria est, plusve societati generis humani et conjunctioni prodest, quam cum in foetu tenerrimo in situ primario retinendo adhibetur; donec muniis suis fungi valeat, et tandem, in solatium matris inenarrabile, conamine naturae idoneo, ex utero tempestive expellatur. Si vero, contra, partus gentrici miserandae immaturus elidatur, non tantum prole sua orbatur, sed etiam non raro effectibus jacturae, quam fecerit, infeliciter rapi confuevit.

Rationes autem, quibus malis hujusmodi efficacissime possit occurri, in hac dissertatione exequi mihi in animo est.

HISTORIA ABORTUS.

Varia huic morbo, pro tempore graviditatis quo inciderit, nomina fuerunt indita. Si brevi post conceptionem factam, spatium eveniat, *efflu-*

etus dici consuevit. Hic quidem attentionem medici raro depostulat, quoniam hisce signis minacibus, quae abortum, graviditate provec-
tione, incidentem comitantur, magna ex parte caret. Namque ovum adhuc perquam crudum est, nullas adhaesiones magnas formavit, aut systema suum eo usque, ut gravidae periculo esse possit, adauxit. *Abortus* vero potissimum ab auctoribus fuit vocatus, si ovum, mensibus paucis tantum elapsis, expulsus fuit. Si, ante mensem quintum expletum, non invadat, *expulsio* appellari solet. Ab octava ad undecimam graviditatis septimanam usque saepissime incidere solet abortus, quod forsitan a quadam plenitudine matris nimia pendet. Profluvio uterino consueto suppresso, et foetu nondum totam sanguinis in vasis maternis accumulati quantitatem poscente, systema causa peccante semet liberare conatur. Circa mensem quartum medium, quintumve incipientem, uterus situm praeter consuetudinem angustum esse sentire incipit, et igitur novo stimulo objicitur, unde conamina ejus intenduntur, et foetus, ante diem, expellitur.

Signa

Signa autem proclivitat̄ ad abortum in aliis praegnantibus alia sunt. Aliae, doloribus acutis et diuturnis; aliae profusione sanguinis, quae incutit terrorem; aliae parco profluvio tantum, substantive, abortum faciunt. Doloros graves et profusio sanguinis liberalis plurimum, haud dubie, attentionis sibi vindicant. Quae signa autem sequuntur, ea plerumque accedunt, lassitudo nempe, horrores, et rigores, vires corporis imminutae, pulsus arteriarum validi et celeres, appetentia cibi sublata, calor febrilis; dorsif, lumborum, uteri, et femorum dolores; tenemus; actio uteri spasmodica, et sanguinis ex eo profluvium, quod saepe admodum formidabile evadit, vertiginem, capitis dolores, syncopen, extremorum frigus, multum circa praecordia anxietatis, ictus tandem arteriarum debiles et abnormes, sudores frigidos, et mortem ipsam etiam faciens. Ventriculus quoque et mammae, ob consensum, qui eas inter et uterum intercedit, singularem, afficiuntur. Ille vomitione vix compescenda vexatur; hae subsidunt, et laxae evadunt.

His signis urgentibus, ostium uteri eo usque ut foetum, placentam et membranas integra expelli

PELLI PATIATUR, SEMET DILATAT; VEL HUMORES, MEMBRANIS RUPTIS, EFFLUUNT, ET OVUM PORTIUNCULIS A SE INVICEM SEPARATIS EVACUATUR. ALIIS VERO TEMPORIBUS AEGROTAM ONERE SUO LIBERANDI CAUSA MANUS OBSTETRICIS ADHIBEANTUR, ET EFFECTIBUS PROFLUVII, PROGRESSUM EJUS COMPESCENDO, OCCURRATUR NECESSÉ EST. HIS DE HISTORIA PROPOSITIS, AD CAUSAS REMOTAS ENARRANDAS PROGREDIENDUM EST.

CAUSÆ REMOTÆ.

Hæ sunt,

- A. Quicquid circuitum idoneum uterum inter et foetum impedit, aut interpellat.
- B. Quicquid actionem excitat, vel distensionem ejusdem obsistit.

His

His annumerantur,

a. *Plenitudo systematis.*—Hanc facit diaeta plena et nutriens, potissimum si huic adjunguntur liquores fermentati stimulantés. Si liberaliter adhibeantur, ad partes sanguinis rubras augendas magnopere conferunt, veram plenitudinem gignentes. Hujuscemodi sunt cerevisia valentior, cerevisia Londinensis lupulata, quae Anglice *porter* appellatur, vinum, &c. cum multo cibo animali conjuncta. Cum haec cibo leviori minus perspirabilia sint, et diutius in corpore maneat, valenti ei stimulo sunt, et multum nutrimenti, quamvis molem exiguam habent, suppeditant. Genus vitae iners et sedentarium, cui mulieres tantopere infueverint, ad hanc plenitudinem creandam quoque facit, omnes secretionés et excretionés imminuens. Quae menstrua, graviditate non subsistente, ex utero olim profundi consueverunt, ea plenitudine occurrerunt. Mensibus vero nunc suppressis, systema uniuersum opprimi incipit; et uterus, moliminibus tempore usitato incidere etiamnum pergentibus, impetui sanguinis, quo vasa ejus tandem distenduntur, non amplius obistere valens, plenitudini adauctae cedit, et ovum

a superficie uteri, cui adhaerebat, disjungitur, quod expulsio ejusdem brevi subsequitur.

a. *Nisus corporei violenti.*—In omni conamine violento et actuoso, fibrae musculares plerumque breviores evadunt, intumescunt, plusque duritiei, quam, in statu naturali relaxato, sibi acquirunt; ob quod necessarium esse videtur, ut, vasis exiguis per musculos agentes violenter compressis, impetus sanguinis ad alias partes saepe vertatur, et cursus ejus ad alias impediatur vel praecaveatur. Hoc modo igitur actio musculorum abdominis sanguinem in vasa utero propria magna vi impellere, et statum ejus organi justo pleniorum efficere periclitatur. Hoc facilius incidit, quod, in conatibus violentis, spiritus cohibetur. Idcirco sanguis, per venam cavam rediens, circa dextram cordis auriculam stagnat, et cum venae viscerum valvulis destituantur, retardatione et pondere suis congestionem, potissimum in visceribus infimis, ulterius intendit. Hanc ob rationem, si vis admodum magna sit, partem placentae ab utero mechanice sejungere, et ita abortum facere potest. Ob hanc causam solam, sine ulla alia, alvus dura,
dum

dum mulier utero conceptum habet, summæ noxæ esse potest.

a. *Violentia mechanica abdomini illata.*—Haec stimulo violento, quo corpus univèrsum, sed præsertim vasa partium sanguifera, afficit, agit, cursum humorum tantum uterum versus faciens, quantus secretionem idoneam matrem inter et foetum turbare valet.

a. *Concussiones.*—Succussus corporis violenti frequenter in uterum mechanice agunt, placentam ab eo separantes, et nexum vascularem, qui partem placentæ maternam inter foetuique propriam intercedit, lacerantes et perdentes. Si hoc quidem non incidat, cursus sanguinis tamen ad partem fit, qui pessimos effectus edere valet.

a. *Affectus Animi.*—Pathematis animi, graviditate substantive, effectus perquam mirabiles, et violenti plerumque fuerunt tributî. Hanc rem vero non ulterius, quam ad nostrum argumentum stricte attinet, persequi decrevimus. Gaudium, moeror, ira, horror, metus sæpe effectus

fectus violentissimos, ut neminem latet, in homines valetudine consueta fruenter ediderunt. Quantum vero ad praegnantem, quantitate sanguinis inusitata colluctantes, attinet, eas hi animi affectus, si concitatiores sint, admodum violenter afficere consueverunt. *Gaudium* cordis arteriarumque actionem intendit; et igitur, excitationem corpori universo violentam inferendo, motum vasorum uteri insolitum, quae plenitudine nimia jam laborant, saepe movet. *Moeror* vim nervosam, tonum solidorum, circuitum humorum, excretiones et secretiones, imminuit, morbos formidolosissimos movens, quales sunt cachexia, icterus, hydrops, lethargia, &c.; quae gradu etiam minore excitata uterum foetumque potissimum afficiant necesse est. *Ira*, contra, circuitum accelerat, impetum sanguinis mutans, unde magnae congestiones in locis diversis incidere solent. Quinetiam inflammationem, febrem, &c. aliquando facere notatur; et, in systema nervosum quoque violenter agendo, plerumque, si concitatiores sint, foetum immaturum excludit. *Horror* in nervos potissimum agit, affectus convulsivos procreans, quales sunt hysterica, epilepsia, subita vasorum exilium constrictio.

tio. Igitur sanguinem ad partes internas, ut ad cor, &c. non pellere non potest, palpitationem cum respiratione anxia, et congestionem in vasis uterinis cum abortu faciens. *Metus* tremores progignit, actionem muscularem et vigorem cordis diminuit, et circuitum sanguinis minore spatio circumscribit, pallorem, anxietatem, impetum humorum mutatum, et etiam circuitus interpellationem creans. Unde facile percipi potest, foetum et systema uterinum, ante omnes alias partes, affici oportere.

Cum igitur affectus animi, soli, mutationes tam insignes in corpus edant; evidens et manifestum est, potestatem quorundam ex iis, si viribus mechanicis, ut ictibus, casibus, &c. excitentur, magnopere adauctum iri, et abortum ejusque sequelas non difficulter facere constanter valere.

a. *Venus Nimia*.—Unusquisque stimulus insolitus systemati universo, dum mulier uterum gerit applicatus quam maxime nociva praestare consuevit. Si vero potestas stimulans vaginae aliisque systematis genitalis partibus admoveatur, effectus ejus duplo major erit; et impetus humorum adauctus in systemate genitali

tali protinus apparebit, abortum celerius, actionem vasorum uterinorum justam et regularem turbando, quam si excitatio corpori universo fuisset illata, faciens. Eodem tempore comper- tum habemus, coitum, frequenter reiteratum, multum debilitatis facere, in nervos violenter agere, et illum statum, quem physiologi collapsum appellaverunt, voluptate sua vehemente et enervante progenerare. Hinc languor, inertiae desiderium, debilitas, et irritabilitas praeter consuetudinem aucta, oriuntur; quae effectus malos numerosissimos et in uterum, et in omnia eo comprehensa, non edere non possunt.

a. *Frigus*—superficie corporis externae, sed praesertim pedibus artubusque inferioribus, ad- motum.

Frigus, corpori humano certa vi applicatum, magnitudinem vasorum superficie exilium di- minuit; et igitur ad quantitatem sanguinis inso- litam in partibus interioribus accumulandam confert. Cum haec constrictio artus inferiores, quibus frigus potissimum applicari ponimus, vehementius occupet, vasa, profunde sita, quan- titatem sanguinis solita majorem continebunt.

Hoc

Hoc quoque ortum cursui humorum uterum versus insolito praebabit, cujus vasa certam distentionem recipient. Cum vero non amplius potestati distendenti cedere possint, nifus uteri ciebitur, vel ruptura vasorum placentae, quae matrem foetumque conjungunt fiet, et abortus ad extremum incidet.

a. *Febres, Variola, &c.*—In omnibus morbis violentis, impetus humorum et actio cordis arteriarumque multum intenduntur. Igitur omnes hoc genus morbi, quantum ad praegnantem spectat, plurimum periculi habent, quod sanguis partes internas versus magna vi et celeritate fertur. Quod cum incidit, abortum gravidae non raro faciunt. Quinetiam notabile est, mulieribus, cum ad extrema jam ventum est, quod moribundae sunt, partum plerumque elidi. Mors autem, rebus ita sese habentibus, non incidere solet, quod abortum faciunt, ut quibusdam placuit, sed a gravitate morbi, quo laborant, sola proficiscitur. Igitur si foetus mulieri immature excludatur, dum febris, quae eruptionem variolae, &c. comitatur, graviter ur-

get,

get, vita ejus in summo periculo versatur, et vix ulla salutis spes affulget.

a. *Magna fatigatio.*—Exercitatio modica non tantum corpus a morbis defendit, sed multum quoque valetudinis commodae viriumque ei comparat. Secretiones et excretiones, ea rite adhibita, constanter perficiuntur, animus erigitur, et omnia vitia, quae ab ignavia et inertia proficiscuntur, efficaciter arcentur. Si vero haec exercitatio justo acrior sit, effectus longe diversi eduntur. Namque corpus debile, irritabile, et relaxatum efficitur, et motum muscularem non amplius exercere potest. Hoc modo gigni potest conditio corporea, quae mulieribus praegnantibus est inimica. Caeterum noxae ab ea nimia proficiscentes magis subitaneae esse possunt; corpus enim labore nimio, ut ambulatione vel equitatione celeri, diuque continuata, defatigatur; et sanguis non aequè, ac ante, ad superficiem corporis propulsus, in partibus internis, et potissimum in utero, congeritur, et hanc ob causam abortus exercitacionem corporis diu continuatam saepe excipere notatur.

a. *Debilitas systematis.*—Jam supra memoriae prodidimus, statum corporis pleniorum malis maxime formidabilibus, dum graviditas subest, ortum saepe praebere. Huic, non sine causa gravissima, statum systematis contrarium, nempe debilitatum, adjicere licet; sive ab evacuationibus nimis, praesertim sanguineis, vel naturalibus vel arte factis*, sive a diaeta parum nutrimenti suppeditante, unde partes sanguinis aquae redundabunt, et quantitas partium crassiorum deficient, proficiscatur. Hoc haud dubie faciet, ut foetus portione humorum nutrientium debita et necessaria privetur, vasa uteri justam distentionem non recipiant, circuitus languescat, solida relaxentur, et systema magnae malorum cohorti, quae, sua gravitate, in uterum vel foetum celerrime saepe agere, et abortum facere potest, opportunum evadat. Eundem effectum edet cursus sanguinis ad alias corporis partes, ut ad superficiem usu diaphoreticorum parum idoneo, vel ad mammas, factus. Hujus exemplum perquam luculentum in praelectionibus suis

* Mulieri uterum gerenti vena secta abortionem facit, idque potissimum, si foetus grandior fuerit. Hip. aph. 31. sect. 5.

fuis in medium profert vir jure celeberrimus Dr
Monro. ‘ A pregnant woman,’ inquit vir in-
geniosissimus, ‘ applied one of her children to
‘ her breast to please it, but with the effect of
‘ producing miscarriage.’ Mulier quaedam,
ut ab amico accepi, quanquam officio nutricis
fungebatur, concepit, et omnia, ad mensem
septimum usque, ei rite procefferunt. Sed pue-
rum priorem lactare pergebat, licet periculi,
cui semet objiceret, moneretur. Finis vero
perseverantiae tandem fuit abortus periculofus.
Hic autem nulli alii causae, quam nimiae hu-
morum quantitati ab utero mammas versus de-
latae, et igitur foetum nutrimine necessario pri-
vanti, tribui potest.

a. *Systematis Generalis Morbi.*—Quanquam
modum, quo morbus totius systematis abortum
faciat, et quisnam morborum numerus hoc prae-
stare valeat, ignoramus; vitium tamen labemve
veneream abortum facere posse, afferere non te-
merarium esse putamus. Quam probabile, im-
mo quam verum hoc sit, exempla sequentia
manifeste evincent, quae mihi enarranda puta-
vit

vit vir celebris, qui obstetricium diu feliciterque exercuit.

Exemplum primum sic sese habet. Mulier quaedam, loco honestissimo nata, bis concepit; sed foetum in neutro exemplo reservavit; conceptus in utero, donec tempus graviditatis solitum propemodum absolutum est, retenti sunt, et deinde admodum putridi exclusi. Mensem septimum inter et octavum fato concessisse probabile. In altero exemplo, tres pueri extincti plurimumque foetoris habentes, circa idem tempus, in lucem serie continuata suscepti sunt.

Postquam in utrumque ex hisce exemplis diligenter fuit inquisitum, causa non ex toto deesse videbatur, cur labem veneream in systemate paterno aliquandiu latuisse suspicaretur. In prioribus, pater uti videbatur, valetudine commoda in biennium ante nuptias fuerat usus. Ultimus, quo laboraverat, affectus veneris fuit ulcusculum. Hujus sanandi tantum mercurii, quantum ad morbum extinguendum sufficere videbatur, sumpserat. Hoc vero facto, causa adhuc non deerat, cur labem in corpore superesse suspicaretur; marito igitur et uxori, per spatium temporis debitum, mercurio uti persuasum

suasum est. Post quod, foemina generosa conceptum fecit, et, mensibus graviditatis expletis, puerum sanum, et complures alios postea, enixa est.

Generosa altera, quae tres liberos mortuos pepererat, una cum marito eodem modo curata est. Ob eventum vero domesticum improvisum, mercurio intempestive desistere coacta est. Rursus gravida evasit, et partum ad nonum mensem finitum reservavit. Puer vivus natus est, et nutrici, ut lactaretur, demandatus. Tempore non longo elapso, notae syphilidis evidentes in puero semet ostendere coeperunt. Prius partes genitales, deinde facies, nasumque afficiebantur. Quinetiam nutrix non diu contagionis expers manebat; brevi etenim mammae et papillae exulcerari incipiebant. Et nutrix et puer usu mercurii ad sanitatem fuerunt reducti. Parentes ad idem medicamentum, quo prius nimis mature abstiterant, confugerunt, et in usu ejus, per spatium temporis diuturnius, persistiterunt. Duo pueri postea in lucem suscepti sunt, omnino sani, in quibus nullae morbi veneri notae unquam in conspectum sese dederunt.

In tertio exemplo, mulier loco honesto nata, tres pueros, totidem vicibus, peperit. Primus et alter ante mensem septimum mortui sunt, et admodum putridi exclusi, primus diebus quatuordecim, secundus quatuor aut quinque septimanis post mortem, tertius, supra duos menses post eundem eventum, retentus est. Mater alioquin, quantum potuerit conjici, si eruptionem faciei papulosam excipias, sanitate fruebatur. Per graviditatem extremam, sanguis ei iterum iterumque fuerat missus, et lavatio marina, donec motus pueri cessavit, adhibita. Maritus, non multis ante nuptias mensibus, quaedam morbi venerei, qui leviter fuerat curatus, signa habuerat. Et hic et illa mercurium, per spatium temporis satis longum, sumpserunt. Foemina generosa conceptum postea fecit, et puerum valentem et sanum, mensibus novem peractis, enixa est.

Ex hisce exemplis haud dubie concludere licet, morbum, qui corporibus parentum infederit, abortum nonnunquam facere valere.

II. (B.) *Quicquid actionem uteri excitat, vel distensioni ejusdem obsistit.*

b. *Irritabilitas systematis uterini insolita.*—Jam supra comprehendimus, debilitatem esse causam abortus frequentem; et compertum habemus, conditionem debilem irritabilitate non modica plerumque stipari, quae causis etiam levibus corpori applicatis, effectus in systema nervosum violentos saepe edit, et actionem fibrarum muscularium validam spasmodicam movet. Uterus igitur eodem modo, quo systema reliquum, affectus, semet ad gradum certum usque distendi patitur; sed auctum tandem distensionis ulteriorem tolerare non valens spasmodice afficitur. Os uteri, ad extremum, dilatatur, et ea, quae utero comprehenduntur, expelluntur. Hic effectus autem multo certius faciliusque edetur, si substabit quantitas aquarum insolita.

b.

b. *Cathartica Valentiora, Enemata Stimulantia, et Diuretica.*—Nihil mulieri praegnantis magis nocet, quam usus cathartorum valentium, vel enematum stimulantium. Namque, praeter languorem et debilitatem quae actionem priorum excipiunt, magnum humorum cursum ad canalem alimentarium et uterum faciunt; unde, vel ob tenesimum quem creant, actio uteri per consensum, et saepe cum sequelis perniciosissimis, movetur. Hic partium contiguarum consensus, inter pariendum, saepe semet evidenter ostendit, et inde desiderium faeces et urinam excernendi, quod singulis uteri contractionibus augetur, proficiscitur. Ex hoc plane disci potest, cum actio partium vicinarum utero propriam quoque excitare valeat, purgantibus drasticeis, qualia sunt ex aloe confecta, quae tarde solvuntur, et in rectum intestinum potissimum agunt, enematis valentioribus, et hisce diureticis, quae vias uriniferas violenter stimulant, abstinere oportere.

b. *Tumores Haemorrhoidales.*—Hi notari merentur, quanquam abortum raro *fortasse* faciunt. Pleraque mulierum, quae pepererunt,
haemorrhoidi

haemorrhoidi plus minusve objiciuntur. Uterus mole sua, graviditate substante, vel faeces induratae, in recto accumulatae, vel utraque conjuncta, cum graviditas longius processit, redditum sanguinis difficiliorem reddendo, ut hi tumores inflammentur, et magnopere doleant, facere possunt. Hanc ob causam, in habitu corporis irritabili, actio uteri excitari periclitatur.

b. *Motus Foetus praeter consuetudinem violentus.*—Notissimum est, mulieres, sub mensem graviditatis quintum, de motu foetus non raro queri, qui, eo tempore, locum mutare potest, et nisibus, quos edit, quique nonnunquam, si attentio adhibeatur, per vestimenta muliebria conspici possunt, ingentem utero stimulum infert. Hoc potissimum, si funis umbilicalis justo brevior sit, incidere consuevit. Namque foetus funem trahendo et cursum sanguinis per eum et diametrum ejus imminuit; vel placenta aliqua ex parte ab utero disjungi, et actio ejus organi motu foetus solo, sine ope stimuli editi, excitari potest. Hic unicus, dum uterus praeter

ter naturam irritabilis est, ad abortum inferendum frequenter sufficit.

b. *Rigiditas uteri.*—In quibusdam exemplis, uterus tantam rigiditatem sibi acquirit, ut potestati distendenti ei applicatae non facile cedat. Hinc humores quantitate adaucti, et magno impetu eundem versus delati, congestionem in eo faciunt, et stimulo ei potentissimo sunt, actionem fibrarum ejus muscularium spasmodicam excitantes; vel placenta ab utero ex parte separari potest.

b. *Deformitas partium pelvis durarum.*—Hujus mentionem hic facere non alienum esse putamus, quanquam effectibus ejus malis occurrere non opis medici esse plane confitemur. Potissimum circa partem pelvis superiorem incidit, cum spina in cavum pelvis modo perquam insolito antrorsum protruditur. Rebus ita se habentibus, cum uterus ex eo cavo osseo, sub mensem quartum, vel prope quintum, emergit, stimulus adeo manifestus et evidens hinc oritur, quod adscensui ejus obsistitur, quodque, contra, sanguis in eum copiose influere pergit, ut abortus

tus

tus plerumque fiat. Alia abortus causa est, quae in modum pelvis deformis agit, vestimenta nempe corpori nimis arcte circumdata, uterum ascendere impediunt, immo eum aliquando deorsum evidentissime pellunt, abortum celerime facientia. Huic causae excitanti, quae a vi consuetudinis in praesentia dominantis mera saepe proficiscatur, occurrere opis est nostrae. Summam attentionem haud dubie sibi vindicat.

b. *Proclivitas ad Abortum inveterata.*—Potestas consuetudinis quasi summum in oeconomiam animale imperium tenet, et actio ejus difficulter cohibetur, aut limitibus ullis certis circumscribitur. Effectus hujus in corpus per morbidam actionem, quae praecesserit, editi, causa, unde orti fuerint, sublata, saepe manent; ut in febribus intermittentibus, dysenteria, tussi convulsiva, &c. quae vi consuetudinis sola pergere possunt, et etiam ex intervallis consuetis repetere periclitantur, incidere comperimus. Usus, ut desiderium faeces et urinam excernendi statim temporibus redeat, facere potest. Nisi ei pareatur, decedit, si distensio non admodum magna

magna fuerit facta, et non ante proximum tempus consuetum redit. Ita homines, quos defidendi cupido teneat, alvum solita hora evacuare qualibet re impediti, brevi nihil omnino desiderii sentiunt, donec tempus, cui semet assuefecerint, semel bisve redierit. Voluntas urinam noctu, certo tempore, excernendi constanter, si modo ei indulgeatur, renovatur; et, licet nihil urinae vesica contineatur, homo, tempore solito, e somno excitatur. Potestas consuetudinis, ut mulieres urinam, longum per spatium, retinere possunt, facit, fibris vesicae muscularibus stimuli minus impatientibus usu evadentibus. Saepe quidem, contra, notamus, ventriculum et intestina, usu emeticorum et purgantium nimis frequente debilitata, eodem stimulo minore etiam gradu applicato facilius affici solere. Uterus igitur abortibus prioribus infirmus redditus, tantum irritabilitatis sibi comparat, adeo ut, in posterum, stimulis omnigenis facilius pareat. Cum autem nonnulla ex hisce stimulantibus, ut molimina mensium, uno tempore, quam alio, potentius agant, et saepe per se abortum facere possunt; alias tamen idem nequeunt praestare, nisi quaedam res externae et fortuitae illis accesserint.

cefferint. Si vero hae adjicientur, abortus fieri potest, et consuetudo infelix stabiliri periclitatur. Ex hoc evidenter oritur, quod aliae praegnantes, aliis temporibus, abortum constanter faciunt.

Plerisque e causis remotis hoc modo breviter percurfis, proxime consideranda est

CAUSA PROXIMA.

Haec revera eadem est, ac ea quae exclusionem foetus maturam facit; *contractio* nempe *uteri, qua ostium ejus dilatatur, et eo comprehensa expelluntur.*

D

PROG.

P R O G N O S I S.

Quaquam, graviditate substante, profusio sanguinis e partibus genitalibus nunquam spernenda est, quod expulsionem ovi praematuram magis minusve certo praefagit; si profluvium tamen pulsibus arteriarum celeribus et duris, doloribus dorsi, lumborum et uteri, horribus, inquietudine sensuque ponderis deorsum tendente non stipetur; si non admodum copiosum sit, parum nihilve periculi inde oriri potest. Quibusdam enim mulieribus, in duas tresve post conceptionem vices, nonnihil sanguinis eo, quo menstrua provenerint, tempore effundi solet, quod a vagina profluere videtur. Licet vero sanguis ex utero profundatur, signis supra comprehensis absentibus, abortus non semper fit; namque placenta ab utero ex parte sejuncta eidem brevi rursus adhaerere,

et

et ovum reservari potest. Mensibus primis, vel ante sextum etiam, abortus profusionem sanguinis funestam raro, ut experientia testatur, facit, vel multum gravidæ periculi infert. Hoc vero plerumque sanguini effuso pro rata ratione respondet. ‘ Si mulier,’ inquit Hippocrates *, ‘ gravis sanguinem profundit, cui extrema frigescent, arteriarum percussus debiles, citi, non aequis intervallis moventur, oculi caligant, aures sonant, circa præcordia anxietas est, anima sæpius deficit, sudor frigidus nervorumve distensiones sunt, malum est, et mors in propinquo videtur.’ Mulieres tamen ex hæmorrhagia profusa, signis pessimis substantibus, nonnunquam convalescunt. Proximum vero est, ut rationem, qua morbus possit depelli, consideremus.

RATIO MEDENDI.

Consilia autem medendi varietatem recipere posse, manifeste testantur causæ remotæ modo

* Aphor. 5. 56.

do explicatae. Praecipua sequentia esse videntur.

II. *Plenitudinem systematis, et cursum sanguinis uterum versus factum diminuere.*

II. *Conditioni systematis, potissimum uteri, debile et irritabile occurrere.*

III. *Vitia systematis totius, si fieri potest, tollere, et potestati consuetudine obsistere.*

Quae remedia primo consilio potissimum accommodantur, ea sequuntur.

Sanguinis detractio.—Si corpus justo plenius fit, et ulla signorum, quae proclivitatem ad abortum indicent, malum aegrotanti repentinum minari videantur, ad missionem sanguinis jure optimo confugi potest. Namque, vim derivationis Hallerianam protinus excitando, cursus sanguinis ad superficiem a partibus internis revocatur, et momentum humorum in vasis uterinis diminuitur. Igitur, ut ad hocce remedium decurreretur, suaserunt celeberrimi medici. Ab

ipsis

ipsis quidem, et ab aliis, monitu eorum, summo cum commodo, fuit adhibitum. Quanquam placenta ab utero aliqua ex parte fuit disjuncta, et nonnihil sanguinis effusum, usus scalpelli prudens non raro profluvium compescuit, et abortui occucurrit. Ad sanguinis detractionem tamen non decurratur, plenitudinem praecavendi, sed effectibus ejusdem substantis nocivis obfistendi. Quinetiam eadem abstineatur, cum haemorrhagia gravis uterina incidit, quae debilitatem, vertiginem, nauseam, vomitionem, ictus arteriarum debiles et abormes, anxietatem, &c. fecit. Etenim, plus debilitatis creando effectus funestos forsitan ederit, et haud dubie, cur aegra tarde convalesceret, in causa foret.

Positura corporis supina.—Cum primum morbus invadit, aut cum proclivitatem ad abortum adesse suspicamur, aegrotam, sine mora, in positura horizontali collocetur, quae impetum sanguinis ad vasa uterina diminuit, et reditum ejus ad cor facilem efficit. Immo, si cursus sanguinis ad uterum insigniter vehemens sit, commodum a positura oriens, caput humerosque

que deprimendo, et clunes levando, ulterius etiamnum augeri potest.

Requies corporis et animi.—Exercitatio musculorum corporis diligenter fugienda est; quoniam sanguinem venosum cor versus propellit, circuitum celerem efficit, magnae in systemate uterino congestionis favet, actionem vasorum partis et vigorem magnopere intendens. Sermonem etiam in nimiam longitudinem producere nocebit, quod respirationem accelerat, et eodem tempore aegrotum fatigat. Affectus autem animi vehementiores, cum effectus tam potentes edant, curiose vitandi sunt; dum status ejusdem placidus et serenus omni ratione quaerendus est.

Frigus corpori applicatum.—Frigus in omnibus haemorrhagiae, vel proclivitatis ad abortum, exemplis prudenter adhibitum magnopere proficit. Aegrotata igitur aëri frigido libere obijciatur; fenestrae cubiculi apertae serventur; corpus laboranti leviter tegatur; immo, linthea ex aqua, cui nitrum fuit adjectum, intincta abdomini et lumbis frequenter admoveantur, et
 saepe

saepe tollantur, recentibus in locum eorum suffectis. Haec non raro evidenter profuerunt. Frigida etiam in anum immissa aliquando utilis est. Liquores refrigerantes, praesertim acidos redditos, aegra bibat. Nitrum cum effectu prospero adhiberi potest. Diaeta levis et parca sit. Cardiaca stimulantia, praesertim vinum rubrum Lusitanum, quod summis laudibus apud aniculas effertur, quoniam vis ejus adstringens stimulum, quo cor et systema sanguiferum afficit, minime pensat, non adhibenda.

Si vero reperiat, aegrotam nulla plenitudinis signa habere, ab initio non debilem fuisse, nulli injuriae mechanicae aut affectui animi violento fuisse objectam, sed habitu corporeo tenuiorem, fibrisque muscularibus rigidam esse, in rationem medendi longe diversam procedi debet; quoniam, rebus ita se habentibus, rigiditas uteri pro causa signorum forsitan habenda est. Sanguis igitur ad cutem, usu diaphoreticorum lenium, qualia sunt pulvis Doverianus, ex intervallis idoneis adhibitorum, est revocandus. Pulveri modo posito aliquantum nitri pro sale in eo praeparato plerumque adhibito, adjici potest. Spiritus Mindereri eidem consilio interserviet.

inferviet. Tartarum emeticum, adeo ut nauseam levem tantum moveat, cum commodo dare valebis.

Opiata.—Memoriae non pauci tradiderunt, [scalpelli usum et opium nunquam eodem tempore convenire. In casibus tamen, ubi proclivitas ad abortum plane indicatur, ex opio preparata, sanguine detracto, proficere valere opinamur; quoniam vim cordis arteriarumque imminuunt, dolorem et actionem uteri spasmodicam tollunt, somnum inducunt, et hosce animi affectus, qui morbum saepe faciunt vel augent, consopiant.

Si dolores nihilominus et alia mala, una cum haemorrhagia immodica, etiamnum persistant, aegrotata languescat, pulsus arteriarum debiles celeresque fiant, et alia signa periculosa accedant, expulsionem eorum, quae utero continentur, omni ratione promovere conandum est. Membranae, si fieri potest, digito rumpendae. Hoc facto, aquae evacuabuntur, et profluvium forsitan compescetur. Quinetiam uterus semet contrahens foetumque contingens eundem celerius expellere valebit. Sin haec ratio non votis respondeat, profluvium immodicum pergat,
et

et graviditas bene provecta sit, manus in uterum insinuetur, foetus vertatur, et pedibus educatur necesse est, ut in difficultatibus similibus, mensibus graviditatis expletis, nonnunquam facere cogimur. In graviditate vero minus provecta membranas disrumpere, et humores evacuare, non aequè bene procedunt; namque membranae et placenta, post foetum expulsam, diu saepe retentae, profusionem sanguinis producunt, vel nonnihil putredinis excitant.

II. *Conditioni systematis, potissimum uteri, debili et irritabili occurrere.*

Si systema universum sit debile, vix aliquid fieri potest, cum id reficere vel corroborare spatium temporis non exiguum requireret. Hoc igitur, si stricte loquaris, ad *prophylaxin* spectat. Debilitatem systematis uterini subesse, si causa sit cur suspiceris, omnibus remediis supra comprehensis, quae, sanguinis detractione excepta, hic conveniunt, addi possunt adstringen-

tia et tonica. Quod ex his consilio nostro maxime accommodatur, id est,

Alumen.—Hoc potestatem adstringentem perquam validam possidet, et quantitate non modica, potissimum sub forma *seri aluminosi*, dari potest. Hoc modo datum frigori que adjunctum non raro effectus felicissimos edidit. Aliae potiones adstringentes, quales sunt tinctura rosarum, cujus potestates non a vi foliorum adstringente pendent, laudibus fuerunt ornatae. His vero longe praestat acidum vitriolicum, quod per se gratius est, et in exemplis hujusmodi rite dilutum, cum fructu evidente adhibetur.

Cortex Peruvianus.—Ut ad hunc decurreretur nonnulli suaferunt; sed consilio parum accommodari videtur, quod actio ejus tarda est, multumque temporis postulat, quodque medicamentum nauseosum est, vomitionemque, stomacho perquam irritabili, movere periclitatur.

Opiata—Haec iterum memorari possunt. In omni enim debilitatis statu multum irritabilitatis quoque plerumque subest. Ad hanc autem
sedandam

sedandam in primis accommodantur, et id spatii quod ad actionem aliorum medicamentorum absolvendam necessarium est, comparant.

III. *Vitia systematis totius, si fieri potest, tollere, et potestati consuetudinis obsistere.*

Morbos systematis, qui abortum faciunt, accurate depingere, et viam medendi inde deducere, plus experientiae plusque notitiae argumenti, quam adhuc attingere potuimus, depostularet. Si vero morbum singularem praegnantem ad abortum proclivem efficere suspicemur, quae in morbum aliis in exemplis possunt, eadem hic quoque convenient, ut in casibus luis venereae supra positis clare vidimus.

De rationibus, quibus potestati consuetudinis possit occurri, sub prophylaxi aptius forsitan diceretur. Causae excitantes summa cura et attentione vitentur, vel iisdem, prout ad primum alterumve consilium attinent, strenue occurratur. Quomodo hoc debeat praestari, et a medici

dici iudicio, et ab historia aegrotantis, omnino pendeat oportet.

P R O P H Y L A X I S.

Curatio mulieris, quae uterum gerit, summam attentionem saepe requirit. Si constitutionem corpoream plenam habeat, in qua diathesis phlogistica dominatur, ratio nonnaturalium, uti vocantur, diligentissime habeatur. Cibo levi victet, et eo modice utatur. Usus quorumlibet e liquoribus stimulantibus vel nutrientibus immodicum fugiat, fructus refrigerantes, horaeos, et subacidos adhibeat, cubili potius duro, et in cubiculo spatioso ad quod aer externus libere adspirat, indormiat. Horae quietis tempestivae sint, et nunquam neglectui habeantur. Exercitatio semper lenis, et citra defatigationem fit. *Ægra aëri frigido, cum commodo summo,*
objici

objici potest. Circuitus sanguinis nunquam acceleretur. Quo hoc praecaveatur, exercitatio ejus ex intervallis debitis potius reiteretur, quam acrior et diuturnior sit. Quo tempore menstrua provenire consuerunt, eo positura horizontali utatur, et exercitatione abstineat. Alvus per laxantia leniora soluta teneatur, animus cura vacet, et ea, quae quemlibet ex affectibus movent, e conspectu removeantur. Vestimenta ei laxae circumdantur, et omnes causae excitantes, quae proclivitati ad abortum inveteratae favent, summa attentione diligentiaque vitentur.

Si, contra, aegrotans sit debilis et infirma, ei praecipiantur sequentia, cibus et potio nutritiva, cortex Peruvianus cum elixire vitrioli acido chalybeativae conjunctus; balneum frigidum vulgare, vel imbriferum, quod illi saepe praestat, cum aegra succussionem ferre valet, et ei assuevit. Sub dio multum versetur.

Si, remediis et regimine talibus adhibitis, aegrotata, quanquam olim abortum facere consueverit, sive consuetudo illa a vitio systematis uterini, sive a causis externis fuerit profecta, partum, ad tempus graviditatis solitum expletum usque, feliciter reservaverit, officio nutricis

haud

haud dubie fungi debet. Hoc modo alteram graviditatem in aliquantum temporis saltem defugiet, et ea interim, quae ad systema universum corroborandum, et ad vim abortus consueti infringendam, plurimum conferunt, adhibere valebit. Nunquam non summi momenti esse reperietur, uterum ab ea distensione, quae menstrua proventura comitatur, quamdiu fieri potest, liberum servare. Hinc partes genitales tonum sibi adipiscentur, qui abortui, in futurum, multo efficacius, quam omnia medicamenta roborantia, quae ingenium humanum hucusque excogitarit, casusve felix monstrarit, adversabitur.

F I N I S.